



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio V. De modo vnionis ex parte partium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

unicam in Christo esse personam ex eo quod in scriptura ea quæ sunt Dei tribuuntur homini, & contra, quod manifestè arguit naturam in illo subsistisse per diuinum suppositum, & inde arguunt caruisse proprio, quia aliàs non fuisset communicatio idiomatum: dico tamen inde aptè colligi in omni vnione hypostatica affectiones singularum naturarum tribui personæ in qua vniuntur, & proinde non posse naturam assumptam retinere propriam personalitatem, cum inter supposita non intercedat communicatio idiomatum.

Refellitur secunda.
69.
Ad 2. confirmationem Resp. non esse de fide quod natura personata non possit assumi propter modum explicandi Patres in obiectione positum, qui licet nullo modo videatur probabilis, & repugnet communi sensui Doctorum, non tamen videtur hæreticus, sed videtur saluâ fide posse sustineri.

Prob. 2. conclusio. propria personalitas constituit rem per se subsistentem, estque vltimus terminus substantialis rei; per assumptionem autem res constituitur in alio, & vltius terminatur termino alieno in eodem genere; hæc autem planè inter se repugnant; ergo repugnat rem simul his duobus modis se habere.

Prob. 3. si natura personata possit assumi, sequeretur ipsam personalitatem assumi posse saltem mediare; quod omnino repugnat, cum repugnet id quo aliquid terminatur & constituitur per se subsistens assumi & vltius terminari. sequela vero prob. natura non potest assumi quin assumatur modi illius, ut satis constat ex philosophia.

70.
Nec dictis obstat quod eadem natura possit sæpius poni per se, ut patet in natura diuina, possit etiam sæpius poni in alio, ut supra cum S. Thom. ostendimus, tradentes quod eadem natura possit à pluribus personis assumi, id, inquam, non obstat, quia illi modi se habendi nullam inter se inuoluunt repugnantiam, ut in superioribus ostendimus.

Petes an natura replicata non possit retentâ personalitate propria secundum vnâ replicationem eadem carere secundum aliam, & per consequens assumi? Resp. posse, neque inde sequi ea quæ intulimus, nec aliam apparere repugnantiam; nam eo casu natura subiret rationem duarum naturarum, & ita tolleretur apprensus contradictio, ut patet in simili in corpore Christi, quod in celo est extensum quoad locum, in Venerabili Eucharistia inextensum.

ARTICVLVS IV.

Virum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus indiuiduis?

Resp. neg. Damasc.
72.
RESPONDET negatiuè. quod probat argumento sed contra ex Dam. lib. 3. de fide cap. 11. 2. quia id est impossibile: nam natura humana abstracta ab indiuiduis non habet esse extra intellectum, & proinde non potest ita assumi. 3. etiam si haberet esse extra intellectum, non conueniret ita assumi; quia ita abstracta non est sensibilis; præterea eius operationes, utpote vniuersales non essent capaces meriti.

Operatio-
nes natura
sic abstra-
ctæ non
essent ca-
paces me-
riti

ARTICVLVS V.

Virum Filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus indiuiduis.

Resp. neg. Damasc.
73.
NEGAT id fuisse conueniens. quod probat 1. argumento sed contra ex Dam. lib. 3. de fide cap. 11. 2. eo casu omnes homines essent vna persona, quod est contra conditionem nature humanæ, quæ postulat in singulis indiuiduis distincta supposita. 3. tolleretur dignitas Christi supra alios homines, non enim esset caput hominum, non esset meritis hominibus; unde etiam tolleretur conditio redemptoris.

ARTICVLVS VI.

Virum conueniens fuerit quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ?

Resp. affir. Luc. 3.
74.
AFFIRMAT. patet ex genealogia Christi Lucæ 3. Tres adfert congruentias. 1. id pertinet ad quandam iusticiam, ut scilicet is satisfaceret qui peccauit, nimirum dum aliquis ex eius prosapia satisfactionem obtulit. 2. pertinet ad hominis dignitatem, dum victor nascitur ex eo genere quod à diabolo victum fuerat. 3. per id potentia Dei eluxit, dum de natura corrupta id assumpsit, quod in maximam dignitatem & virtutem est promotum.

QVÆSTIO V.

De modo vniõis ex parte partium.

VAMVIS materia huius questionis colligi possit tum ex questione 1. tum ex precedenti, nihilominus ad confutandos varios errores, qui circa illam versati fuerunt, S. Tho. peculiari tractat de vniõis partium humanæ naturæ.

ARTICVLVS I.

Virum Dei Filius debuerit assumere verum corpus?

1.
NOTANDVM varios hæreticos sensisse Christum habuisse corpus imaginariū. ita sensit Marcion teste Tert. lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 51. & lib. de carne Christi cap. 1. idem senserunt Manichæi, ut refert Aug. li. de hæresibus, heresi 46. Priscillianistæ ut refert S. Leo epist. 93.
2.
Verum de fide est Filium Dei verum corpus assumpsisse, quod docet S. Tho. Definuit omnibus ijs locis, quibus definitur quod Christus fuerit verus homo, & quod Filius Dei naturam humanam assumpsit, cum ad veritatē hominis & nature humanæ requiratur verū corpus. videri possunt symbolum Apostolorum, Nicænum, Athanasij, Concilium Ephesinum, Chalcedonense, Lateranense sub

Error Mar-
cionis Ma-
nich. Priscil-
lian.

De fide est
Christum
habuisse
verum cor-
pus.

Prob. ex
Symb. &
Conc. Eph.
Chalcedon.
Lateran. To-
let. 6. & 11.

Inno-

Innocentio 3. habetur cap. *firmiter*, desumma Trinitate. Conc. Toletanum 6. & 11. in confessione fidei, & alia.

Constat etiam ex omnibus scripturis quibus Christus dicitur Filius hominis. Item ex ijs, quibus dicitur natus ex Virgine, dicitur inter homines conuersatus, fatigatus, passus, resurrexisse, &c. hac enim ad sui veritatem requirunt ut is, de quo dicuntur, habuerit verum corpus.

Conf. nisi Christus habuerit verum corpus, delusorie dicuntur quæcumque traduntur de nostra redemptione, de Christi passione; neque enim pro nobis passus fuerit, resurrexit: talis autem fictio dedecet Filium Dei, qui est prima veritas. Vnde præclare Aug. lib. 83. qq. q. 14. *Si phantasma fuit corpus Christi, fessit Christus, & si fessit, veritas non est, est autem veritas Christus, ergo non fuit phantasma corpus eius.*

Constat eadem veritas ex ijs locis, quibus in terminis corpus Christo tribuitur. Ioan. 2. *hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Matth. 26. *hoc est corpus meum;* & alibi. Item ex ijs quibus tribuitur caro, Ioan. 6. *caro mea verè est cibus.* Ad Rom. 9. *ex quibus est Christus secundum carnem.* 1. Petr. 4. *Christus igitur passus in carne &c.* quæ, & similia loca ad sui veritatem requirunt ut Christus verum corpus & veram carnem habuerit. Idem constat ex symbolo Athan. *dicentis de Christo, ex anima rationali & humana carne subsistens.* Videri potest epist. 11. Leonis primi, ubi præclare contrarium errorem refutat.

ARTICVLVS II.

Virum Dei Filius debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem & sanguinem?

VALENTINVS sensit corpus Christi fuisse celeste, & per vterum Virginis tanquam per canalē transiisse, ut videri potest apud Tert. lib. de præscriptionibus cap. 49. & lib. de carne Christi cap. 13. Aug. hæresi 11. Leonem epist. 11. & plures alios.

Sed de fide est assumptisse corpus terrenū, carnē scilicet & sanguinem, quod tradit D. Tho. hic. Patet ex ijsdem locis, quibus patet conclusio superioris art. cum ad veritatem naturæ humanæ requiratur caro & sanguis. Adde quod id requiratur ad veritatem passionis, & quod Ioan. 1. dicatur, Verbum caro factum est. videri etiam potest caput 1. & 9. ad Rom.

Obijciunt 1. ad Corinth. 15. *primus homo de terra terrenus, secundus homo de celo celestis;* ergo quemadmodum primus Adam dicitur terrenus ratione corporis de terra sumpti, ita secundus, scilicet Christus, dicitur celestis ratione corporis, quod sit naturæ celestis.

Resp. neg. conseq. quia dicitur de calo celestis tum ratione diuinæ naturæ & personæ, ut tradit Aug. lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 23. & alij, tum ratione mirabilis conceptionis ex Virgine. Videri potest B. Th. ad 1. ubi utramque adhibet responsionem.

Alius etiam sensus est prædictæ sententiæ Apostoli, quam refert Cornelius in illum locum. Nam postquam Apostolus probauit futuram resurrectionem mortuorum, querenti quomodo resurgant mortui, ostendit eorum corpora futura celestia, non quidem naturæ conditione, sed secundum affectiones; ita ut licet modo sint corruptibilia, ani-

malia, ignobilia, &c. tamen post resurrectionem futura sint in calo incorruptibilia, gloriosa, sublimia; quod ostendit exemplo Christi, cuius corpus fuit gloriosum secundum intrinsecam conditionem, licet ea gloria fuerit ad tempus prohibita propter nostram redemptionem. Ex quo hortatur ut bonis operibus & conuersatione cum imitemur, ut efficiamur ei similes conditione corporis celestis. Vnde patet Apostolum non velle corpus Christi esse naturæ celestis, vel alterius, cuius non sint corpora ceterorum hominum, sed propter vnionem ad Verbum moraliter ei debitas fuisse affectiones corporis gloriosi, quas cum illo in calo acquirere possimus.

ARTICVLVS III.

Virum Filius Dei assumpserit animam?

ID negarunt Arius & Apollinaris, asserentes Verbum diuinum in Christo fuisse loco animæ, ut videre licet apud Aug. hæresi 49. & 55. Cyr. hom. 5.

Sed contrarium est de fide, quod docet S. Tho. hic, & patet ex ijs locis, ex quibus conclusiones præcedentium articulorum sunt probatæ, quia anima pertinet ad veritatem humanæ naturæ. præterea Matth. 26. & Marci 14. dicitur, *visum est anima mea.* Ioan. 10. dicit, *pono animam meam, & nemo tollit eam à me.* 1. Ioan. 3. dicitur animam suam pro nobis posuisse. Matth. 8. Christus dicitur miratus.

Prob. etiam conclusio ex merito Christi, quod nequit consistere sine anima. 2. ex eo quod anima præcipuè indigeat remedio, ergo assumpta est, nam quod non est assumptum, non est curatum. 3. qui negant Christum assumpsisse animam, negant veritatem redemptionis generis humani & mortis Christi.

ARTICVLVS IV.

Virum Filius Dei assumere debuerit intellectum?

APOLLINARIS, de quo art. superiori, conuictus scripturis tribuit quidem Christo animam sensitivam, negauit tamen rationalem, asserens Verbum eius locum supplere. videri potest Aug. hæresi 55.

Sed de fide est Christum præditum anima rationali, ut tradit Athan. in symbolo. 1. quia ea pertinet ad essentiam hominis, vnde illa sublatà tollitur in Christo veritas humanæ naturæ. 2. ea requiritur ad veritatem redemptionis generis humani, cum sine anima rationali non possit in Christo meritum reperiri. 3. Christus in scriptura dicitur miratus, quod est proprium animæ rationalis.

Ex his sequitur quod Christus assumpserit intellectum; si enim is distinguatur ab anima, connaturaliter illam sequitur tanquam proprietas, & tanquam conditio requisita ut exerceantur operationes humanæ & capaces meriti. assumpsit etiam voluntatem.

Sequitur etiam quod assumpserit accidentia quæ competunt connaturaliter corpori humano, cum fuerit homo perfectus. Porro hæc accidentia sunt corporis quam animæ assumpta sunt median-
tibus suis subiectis, quibus secundum naturalem suam conditionem inhaerent.

Error Arii & Apollinaris.

7. De fide est Christum assumpsisse animam.

Prob. Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 10. 1. Io. 3. Matth. 8. Prob. ratione.

Apollinaris censuit Verbum fuisse pro anima in Christo.

8. De fide est Christum præditum anima rationali. Athan.

Filius Dei assumpsit intellectum & voluntatem.

Item accidentia humani corporis connaturalia.

*Dubium
incidens.
Sintue in
Christo
dicenda
tres sub-
stantiæ.
Damasce.
Aug.*

*9.
Conc. To-
let. II.*

*Modus lo-
quendi Da-
masce est
conuenien-
tior, quon-
iam si
citur duas
tantum in
Christo ef-
se naturas
&c.*

10.

*Ee saltem
partes quæ
informan-
tur animâ,
immediatè
assumptæ.*

*Tres de hac
quæst. En-
tentiæ.
1. Negat.
Dur.
Gabr.*

*Secunda
distinguit.*

*Syluest.
Caiet.*

*11.
Terti-
colle af-
firmat, quæ*

Ex his facile potest expediri dubium quod varij proponunt, an dici possit in Christo tres esse substantias.

Damasce. lib. 3. de fide cap. 16. eum modum loquendi videtur improbare: illo tamen vitur Aug. lib. 13. de Trinitate cap. 17. dicens: quandoquidem sic Deo coniungi potuit humana natura, ut ex duabus substantijs fieret una persona, ac per hoc iam ex tribus, scilicet Deo, anima, & carne. Eodem vitur Conc. Toletanum II. in confessione fidei, & alij Patres passim citati.

Vnde ille modus loquendi non potest omnino rejici, estque commodus ad refutandas hæreses, quibus significatur Verbum vel non assumpsisse corpus, vel non assumpsisse animam. Vbi tamen non est periculum similis erroris, modus loquendi Damasce est magis congruus, ut passim tradunt Scholastici, quod scilicet duæ in Christo sint nature vel substantiæ, quia illa loquendi formâ designantur immediata componentia in Christo, quæ sunt tantum duo, & partes remotæ in compositione non solent numerari. His præsuppositis, est

DUBIVM

Utrum sanguis sit hypostaticè assumptus à Verbo?

CERTVM est Dei Filium assumpsisse corpus integrum & perfectum, & per consequens omnes eas partes quæ pertinent ad constitutionem & veritatem corporis humani. Dubium verò est de quibusdam num eas immediatè assumpsit, an solum mediatè.

In quo communiter est receptum eas corporis partes immediatè assumptas, quæ informantur animâ, ut carnem, ossa &c. cum sit de fide, & in superioribus sit ostensum etiâ corpus hypostaticè assumptum, & non solum animam: non est autem potior ratio cur una pars quæ informatur anima assumatur quàm alia, cum singulæ verè pertineant ad constitutionem corporis, & per consequens ad veritatem nature humanæ.

Conf. Verbum per diuinam substantiam suscepit humanam, & proinde non solum debuit vnâ vel alteram partem assumere, sed omnes, quæ ad constitutionem nature humanæ pertinent, & quæ dicuntur substantiam in homine participare. Tales autem sunt maximè quæ informantur anima. His constitutis

Controuersia est num sanguis sit etiam immediatè assumptus à Filio Dei; in qua res sunt sententiæ.

1. Vniuersim negat, asserens fuisse tantum mediatè vnitum, quatenus fuit coniunctus nature humanæ quæ erat Verbo vnita. Ita Dur. in 4. dist. 10. q. 1. num. 19. Gabriel in canonem Missæ lectione 53. & alij.

2. Distinguit duplicem sanguinem, vnum nutritionalem, vitalem seu naturalem alterum. Priorem censet non fuisse assumptum, sed secundum, utpote animatum. Ita Syluester in rosa aurea tract. 3. cap. 33. & inclinât Caiet. hic art. 2. iuncto articulo 2. q. 54.

3. Sententiâ absolutè & absque distinctione asserit sanguinem immediatè esse assumptum. Est longè communissima inter Theologos, habetur

que hoc tempore ita certa vt prima sententiâ notetur erroris.

Prob. 1. ex verbis Clem. 6. extrau. *Vnigenitus*, de penitentijs & remissionibus inter communes, vbi Pontifex dicit, quem (scilicet sanguinem) in arâ crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset, sed copiosè voluit quoddam profusum noscitur effudisse, &c. vbi declarat guttam sanguinis Christi potuisse abunde sufficere pro redemptione generis humani propter vnionem ipsius cum Verbo; nisi enim vis inferatur verbis, particula illa, quæ tamen propter vnionem, non potest ad aliud referri quàm ad illam, guttam sanguinis. Insu eisdem Pontificis quidam Theologus debuit retrahere quod populum docuerat Barcinone in Hispania, scilicet sanguinem Christi effusum in passione fuisse à diuinitate separatum, cum tamen corpus & anima manserint vnita Verbo. Igitur sentit Pontifex & Ecclesiam docuit quod Verbum tam immediatè sanguinem sibi vnierit quam vnuit corpus & animam. Videri potest directiorum inquisitorum 2. parte q. 10.

Prob. 2. ex scriptura: ad Heb. 2. quia pueri communicauerunt carnem & sanguinem, & ipse, scilicet Christus, similiter participauit eisdem. Vbi Apostolus denotat Deum hominem factum participando carnem & sanguini. Cum autem consimili ratione loquatur de sanguine atque de carne, non est quod vnum dicatur immediatè assumptum, alterum verò tantum mediatè. Eadem scriptura vocat sanguinem pretium magnum. 1. ad Cor. 6. pretiosum sanguinem. 1. Petri 1. vbi dicitur: non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immolati. 1. Ioan. 1. sanguis Christi emundat nos; & pluribus alijs locis.

Aliqui existimant his & similibus scripturis preter primam non sufficienter probari intentum, quia vis quæ sanguini tribuitur nos emundandi, liberandi, &c. ei competit ratione dignitatis personæ offerentis per modum meriti. Sed id videtur minus rectè dictum, cum scriptura omnino videatur indicare illum ipsum sanguinem fuisse valoris infiniti per modum rei oblata, & per modum pretij; qui valor non solum provenit à persona vt operante, sed etiam ab ipsa re quæ in se fuit infinitæ dignitatis, scilicet propter vnionem sui ad Verbum.

Confirm. si scriptura nihil singulare voluit significare de sanguine, quod non potuisset etiam dici de lachrymis Christi, de eiusdem sudore, cur tam sæpe peculiariter inculcat de sanguine, quod de alijs tacet? tam frequenti illa repetitione omnino videtur indicare ipsum sanguinem secundum se ratione vnionis sui ad Verbum habuisse sufficientiam per modum pretij & rei oblata, & condignitatem ad satisfaciendum pro peccatis hominum.

Prob. 3. ex Concilijs & Patribus, qui agentes de vnione ad Verbum, sæpe casim coniungunt sanguinem, indicantes vtrumque eodem modo à Verbo assumptum. Id patet ex epistola Concilij Alexandrini quæ est 10. apud Cyrillum, & approbatur in Conc. Ephesino anathematismo 5. vbi dicitur, Verbum factum caro, & carnis & sanguinis perinde atque nos particeps factum. Item ex hom. 5. eiusdem Cyrilli, vbi dicit, licet enim Verbum Dei cum Deo sit, carnem assumpsit ac sanguinem. Ex Nazianz. oratione 50. dicente Verbum caro factum, hominem

*Auctor se-
quitur.
Prob. 1.
Clem. 6.*

*Gutta san-
guinis
Christi pro
Redemp-
tione ho-
minum suf-
ficisset.*

12.

*Prob. 2.
ex script.
Heb. 2.*

1. Pet. 1.

1. Ioan. 1.

*Explicatio
aliquorum
explicatur.*

Confirm.

13.

*Sanguis
pretij Ro-
dèptionis.*

*Prob. 3. ex
Concil. &
Patrib.*

Cons. Alex.

Cyrril.

Nazianz.

naturæ,

naturam, non potuit, sed vere, non aëreum, sed corporeum; non phantasticum sed carnum, ossa, sanguinem, sensum & animam habentem.

Prob. 4. ex eo quod diuinitas in Venerabili Eucharistia ponatur concomitanter non solum sub speciebus panis, sed etiam sub speciebus vini, vt sentit Ecclesia; igitur diuina persona non tantum animæ & carni est immediatè vnita, sed etiam sanguini.

Dices sub speciebus vini non esse solum sanguinem, sed simul cum carne, seu etiam sub iisdem speciebus inueniri carnem, cui diuinitas est vnita.

Sed contra facit quod in triduo mortis diuinitas fuisse coniuncta sanguini, si eo tempore facta fuisset consecratio, quoniam tamen tempore caro non fuisset concomitanter sub specie vini.

Conf. eo triduo post consecrationem potuisset, imò debuisset, deferri cultus latræ contentum sub specie vini; ergo ibi fuisset diuinitas sanguini coniuncta, licet sanguis non fuisset vnitus carni.

Conf. 2. quemadmodum Ioan. 6. tribuitur cibo viuificare in sacramento Eucharistia; ita etiam tribuitur potui; atqui cibus seu caro viuificat ratione diuinitatis vnita; ergo ratione eiusdem potus viuificat.

Prob. 5. ratione; sanguis est pars corporis humani, siue sit animatus, siue non, & pertinet ad consistentiam hominis, ita vt neque corpus possit naturaliter informari anima, si careat omni sanguine, neque homo absque sanguine possit consistere; requiritur ergo vt homo consistat; iuuat etiam ad eius functiones exercendas, & proinde licet sit nutrimentum quarundam partium, scilicet solidarum, non desinit esse pars. Quod si quando dicatur pars solum potentia, intelligitur per comparationem ad partes solidas, quarum naturam non participat actu, tamen tanquam nutrimentum potest dici pars potentia.

Ex his probationibus facillè patet Verbum assumptum omnem sanguinem, cum id postulet locutio Clementis 6. Idem etiam suadeat id quod dictum est de concomitantia diuinitatis sub specie vini in Eucharistia; & ratio partis competat toti sanguini non solum alicui eius parti.

Obijciunt 1. Filius Dei assumpsit corpus mediante anima; igitur assumpsit solas partes animæ informatas; sanguis verò non informatur animæ.

Aliqui controuertunt num sanguis sit animatus sed eo prætermisso, cuius resolutio non est necessaria ad solutionem argumenti.

Resp. negando consequ. quia assumpsit omnes partes pertinentes ad naturæ constitutionem, & proinde etiam eas, quæ anima non informantur. Quamuis enim non assumpsit corpus propter se subsistendo, sed vt animæ instrumentum, illud tamen immediatè assumpsit, & proinde omne id quod ad eius integritatem pertinet, quamuis non informetur animæ; vnde non obstat quò minus sanguis fuerit immediatè assumptus, si forte non informetur animæ.

Dices 1. si non sit animatus, habet naturam planè distinctam.

Resp. habere quidem partialem, subordinatam tamen totali, & formæ totius, & proinde potuisse assumi tanquam partem hominis.

Dices 2. si Filius immediatè assumpsit sanguinem, potuit dici, Filius Dei est sanguis, est effusus.

Resp. neg. consequ. quia sanguis sub illo conceptu repræsentatur vt pars, & tanquam aliquid

incompletum, & ita non potest prædicari de Filio Dei; nec inter Verbum & sanguinem aptè constituitur idiomatum communicatio, quemadmodum non dicitur, Filius Dei est anima, est corpus.

Obijciunt 2. sanguis effusus non fuit assumptus; ergo nec alius. Conseq. prob. non est maior ratio vnus quàm alterius. Antecedens verò prob. Christus non dimisit quod semel assumpsit, dimisit autem multas guttas sanguinis.

Resp. neg. assumptum, quia etiam in triduo mortis sanguis effusus mansit vnitus diuinitati, vt satis patet ex mysterio Eucharistia, & ex condemnatione Theologi Barcinonensis. Quidquid autem sit, num Christus dimiserit aliquas guttas sanguinis in passione effusi, dictum Theologorum desumptum ex Damasceno non ita intelligitur quasi Christus non dimiserit vllas particulas rei assumptæ, sed quod nunquam ex integro & formaliter dimiserit naturam semel assumptam, carnem, sanguinem, animam, ita vt nihil eorum retinuerit; cum semper retinuerit carnem sibi vnitam, sanguinem, animam, quamuis in triduo mortis fuerint à se inuicem separata.

Obijciunt 3. iuxta rationem factam dicendum est alios humores assumptos, cum pertineant ad hominis consistentiam.

Resp. quamuis sit minus certum quoad illos, tamen esse valde probabile quòd etiam fuerint assumpti, vt sentiunt multi recentiores. Nam vt assumit argumentum, illi etiam pertinent ad consistentiam hominis, & ad veritatem humanæ naturæ, atque ad debitum corporis temperamentum, eruntque in corporibus gloriosis; vnde licet respectu nutritionis dicantur excrementa, respectu tamen integritatis corporis & debiti temperamenti non se habent per accidens.

Probabile etiam est quod docent varij, scilicet spiritus vitales & animales assumptos esse, tum quia pertinent ad integritatem corporis, tum quia sunt instrumenta deseruientia functionibus animæ; sunt enim partes quædam subtiliores sanguinis, qui est vniuersale instrumentum functionum animæ.

Peti verò potest an similiter sint immediatè assumpti dentes, vngues, capilli.

De dentibus probabilius videtur quòd sint assumpti, quia non videtur posse negari quòd sint partes corporis pertinentes ad eius integritatem, & non minus videntur esse animati quàm reliqua ossa.

De vnguibus verò & capillis maior est controuersia, in qua varij probabiliter negant esse assumptos, eo quòd non sint partes; alij verò ex contrario fundamento asserunt; quòd de vnguibus videtur probabilius, quos multi censent animatos. Capilli non videntur assumpti, cum non sint pars corporis, sed extrinsecum aliquod eius ornamentum.

